



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

SOMBOTIENSIS*

IN SLOVENIA NOVA CONDITUR DIOECESIS SOMBOTIENSIS APPELLANDA.

Slovenorum fidelium spirituales necessitates diligentissime considerantes, studiosam operam damus ut illa in terra Evangelii praedicatio facilius commodiusque eveniat. Attenta igitur petitione Venerabilis Fratris Francisci Kramberger, tunc Episcopi Mariborensis, qui, audita Conferentia Episcoporum Sloveniae, ab Apostolica Sede enixe exposulavit ut, circumscriptionis ecclesiasticae sibi concreditaе dismembrato territorio, nova erigeretur dioecesis, Nosmet Ipsi, favorabili exstante sententia Venerabilis Fratris Sanctis Abril y Castelló, Archiepiscopi titulo Tamadensis et in Slovenia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Mariborensi distrahimus integrum territorium Vicariatuum foraneorum vulgo nuncupatorum: Lendava, Ljutomer et Murska Sobota atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim Sombotiensem appellandam. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe Murska Sobota statuimus templumque ibidem paroeciale, Deo in honorem S. Nicolai dicatum, ad gradum evehimus ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis.

Dioecesim Sombotiensem Metropolitanae Ecclesiae Mariborensi suffraganeam facimus atque eius Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae Metropolitanae subicimus. Cetera cuncta ad Iuris Canonici normas exsolvantur. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem quem diximus Fratrem Sanctum Abril y Castelló deputamus, necessarias eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique

Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Aprilis, anno Domini bismillesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOANNES B. card. RE <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVIII (2006), n. 6, pp. 428-429

© Copyright 2006 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana